
Lago Christiani.

Theses philosophicæ.

Oxonii. 1597.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]

52,-24.
(LN bis 410)

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]

THESES PHILOSOPHICÆ

Exercitij ergô

IN CELEBERRIMA ACA-
demiâ Oxonienſi, Moderatore M. Wil-
helmo Thorne Art. Magiſtro,

Menſe Iunio propoſitæ.

A

LAGONE CHRISTIANO R. DANO.



Oxoniæ

Ex officina JOSEPHI BARNESII.
M. D. XCVII.

And. Benedicti edit

Lago Christiern

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]

VIRTVTE ET SPLENDORE GENERIS
Nobilibus, D. Joanni & D. Ottoni Lindenow, Nobiliſſ. viri Joannis Lindenow Domini de Gauno,
& Sereniſſ. Daniæ Septentrionisq́, Regis arcis Hintzgoull Præfecti filijs, ſuis & fautoribus. S.

Πρέπει τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν.

NOBILISSIMI Iuvenes: Quàm abundè vos ob virtutem non ſolùm moleſtiis, ſed etiam periculis (tantâ præcipuè iam undiq; omnium rerum noxiâ triumphante flammâ) obiicientes, huic Iſocratis ſententiæ ſatisfeciſtis, res ipſa probat. Nam ſi nobilitatem tantùm ſpectaviſſetis, ea illuſtris eſt; ſi parentum dignitatem, ea magna; ſi fortunam, ea vobis amiciſſima; ſi Academiam noſtram, illa celeberrima; ſi patriæ mores, illi graves: ut una quidem via, remotâ omni periculorum faculâ, ſummum virtutis culmen intra patriæ limites ſcandere potuiſſetis. Animadvertentibus tamen chariſſ. veſtris parentibus, varia gentium inſtituta, hominum ritus varii, mores diverſi, formæ civitatum, incredibile eſſe, ad iudicium & prudentiam quantum poſſint, (unde Vlyſſes ab Homero commendatur, quòd πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα καὶ νόον ἔγνω) elegêre vobis doctiſſ. virum M. Wilhelmum Nicolaum Wiburgenſem ſtudiorum moderatorem, atq; morum informatorem, qui unà vobiſcum Academiam Roſtochienſem adiret, in qua cùm per integrum biennium vixiſſetis, Argentoratum acceſsiſtis, tantum ibi temporis bonis quoq; Muſis dedicantes; hinc in Italiam, ubi cum laude veſtrâ & patriæ quinquennium conſumpſiſtis. Nec adhuc ſatiati, tandem in Galliam, ex quâ (ad te D. OTTO me converto) in morbum incidens, te ad tuos, comitante Pædagogo, in patriam confers. Quòd autem non tam cum voluptate, quàm etiam cum fructu uberrimo tot regiones perluſtrâris, in tot varios hominum mores inquiſieris, hinc vel apparet, quòd ſanitate tibi à Deo reſtitutâ, mox in regiam curiam cooptatus eſſes. Tu tamen, D. IOANNES, de conſilio parentum, & fratris chariſſ. ad ſuos reverſuri inſtinctu, electo conſanguineo meo D. Mathia Iacobæo Ripenſi, reverendiſſ. Epiſcopi Sionenſis filio, medico peritiſſ. comite tibi, & amico fideliſſ. ANGLIAM (ubi utramq; Academiam, OXONIENSEM & CANTABRIGIENSEM adiiſti, atq; in illâ D. Doctorem IOANNEM CASE ſummum Philoſophum & Medicum coràm ipſe cum laude alloquutus es, in hac, nullo meo merito, clara mihi adtectus ſigna exhibuiſti;) & Belgium adnavigaſti, in quibus, ut in omnibus aliis regionibus, ſpectatorem egiſti eorum, quæ ab homine cordato obſervari debeant ac poſſint. Quanta etiam hæc tua laus? vix in patriam regreſſus, in curiam regiam unà cum fratre reciperis. In qua uterque iam vivitis, parentibus veſtris amiciſque honori, & patriæ uſui atque ornamento; ut verè gloriari non ſolùm poteritis, vos veros τῆς οὐσίας πατρικῆς, id eſt, nobilitatis & opum (quæ vobis, ubi Deo ſic viſum fuerit, relinquentur ampliſſ.) hæredes eſſe: ſed etiam τῆς φιλίας, id eſt, amicitiæ, qua plurimùm apud Chriſtianiſſ. noſtrum Regem CHRISTIANVM IV. propter ſuam ſingularem ſapientiam ac prudentiam, valet veſter parens chariſſimus. Has autem theſes, Nobiliſſ. Iuvenes, vobis inſcribo, non ut veſtro nomine dignas, ſed gratitudinis meæ ergô teſtificandæ. Eo ergo animo quo dantur, dignemini, quæſo, à me ſuſcipere, & mihi in poſterum, ut hactenus, favere pergite.

Oxonij Anglorum, prid. Cal. Junij. Anno. M.D.XCVII.

V. obſervantiſſ.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]

I.

PHILOSOPHIA eſt ars artium,& ſcientia ſcientiarum: vel,ex ipſa Etymologiâ, ſecundum Pythagoricos,Platonicos,Stoicos,& Damaſcenum, Philoſophia definitur φιλία τῆς σοφίας, id eſt, vehemens ſapientiæ appetitio ſeu amor.

II.

Pervetus eſt & à multis recepta, imprimis Platonicis & Stoicis,illa tripartita Philoſophiæ diviſio,in Naturalem,Moralem,& Logicã, (quæ,teſte Euſebio,ab Hebræis manavit) ſed Peripateticorum bimembrem maximè probamus, & omnino ſequimur.

III.

Ea eſt vel Speculativa,vel Practica. *Metap.2.c.1.t.3.*

IIII.

Speculativam ſcientiam dicimus eam,quæ ſubiectũ ſuum circa quod verſatur, docet nos tantummodo ſcire & contemplari: ut ultimus eius finis ſit ſpeculatio, nec per ſe dirigatur ad actionem. *Ar.9. Eth. c.2.& 3. de Anima,c.9. t.46.*

V.

Conſideratur hujuſmodi rerum cognitio,vel extra materiam,vel in materiâ.

VI.

Extra materiam,ut res Metaphyſicę.

VII.

In materiâ, id quod bifariam contingit. Nam quædam ita exiſtunt in materiâ,ut ſine ipſa tamen definiri ac ſciri poſſint,cujuſmodi ſunt diſciplinarum Mathematicarum quantitates continuæ & diſcretæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]

VIII.

Quædam verò ita à materiâ dependent, ut non modò re ſeparari non poſſint ab ipſâ, ſed neq; cogitatione. De hiis Phyſica.

PHYSICÆ.

I.

Phyſica eſt ſcientia theorica corporum naturalium.

II.

Subjectū ejus ſtatuit Thomas in ſuo procœmio Phyſic. eſſe Ens mobile. Idem in procœm. ſuo ſuper li. de cœl. Corpus mobile. In hoc conſentiunt Ægidius & Albertus. Scotiſtæ ſubſtantiam naturalem: alii ſubſtantiam ſenſibilem: alii res generabiles & corruptibiles. Averro. ait eſſe res generabiles, prout ſunt tranſmutabiles. Idem Corpus mobile. Item ens mobile. Vt hîc in memoriam revocari dignum ſit illud Platonis, *ſi verba, ubi opus eſt, contemneremus, prudentiâ & eruditione ditiores eſſemus:* ſic licèt hîc cōtroverſia maior ſit in verbis, quàm reipſa, tamen ab illorum parte, qui ſtatuunt Phyſicæ ſubjectum eſſe corpus mobile, maximè ſtamus & hæremus.

In prolog. phyſ. 12. met. com. 5. 4. met. cō. 1.

III.

Per mobile non ſignificamus paſſionem quandam Phyſicam: Nam paſſio ſubjecti non poteſt eſſe eius ratio formalis, ſed potiùs id quod alii exponunt NATVRALE: ſeu, ut cum Ariſtotele dicamus, quod habet in ſe principium motus ac quietis, id eſt, facultatem & aptitudinē, ut mutetur in hoc, in quod mutatur ab aliquo, & tali motu movebitur, cujus dicitur habere principiū.

IIII.

Statuendo Phyſicæ ſubjectum corpus mobile, non animam, tanquam nulla ejus hîc eſſet conſideratio, à Phyſicæ doctrina excludimus.

Quæſtio.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]

Quæſtio.

An anima rationalis perfectè cognoſci poſſit à Phyſico? Negatur.

MATHEMATICÆ.

I.

Mathematicarum artium pręcepta, licèt ſenſui vera, & omnino certa eſſe appareant, nihilominus demonſtrationes exigunt. Quid enim manifeſtius eſſe poteſt, ſenſuiq; magis obvium, quàm *Trianguli duo qualibet latera reliquo eſſe maiora*? Attamen rationem judicem magis ſequi oportet. Quare injuſtè reprehenditur & deridetur à Zenone Epicurço Euclides, hanc propoſitionem anxiè demonſtrans. *Euclid. p. 20.*

II.

Sunt autem hujuſmodi pręcepta pręcipuè, vel Arithmeticæ, vel Geometriæ.

ARITHMETICÆ.

I.

Arithmetica eſt ars bene numerãdi. itaq; Solius Arithmeticæ tota eſt doctrina de numeris.

Quæſtio.

An unitas ſit numerus? Affirmatur.

GEOMETRICÆ.

I.

Geometria eſt ars bene metiendi.

II.

Subjectum ejus eſt magnitudo.

III.

Eſt autem Magnitudo quantitas continua, non à Geometrâ conſiderata reſpectu ſubſtantiæ, cujus eſt accidens, ſed ut habet proprietates Mathematicas, ſcilicet eſſe æquale, commenſurabile &c. ſic, quòd triangulũ

habet tres angulos æquales duobus rectis, non accidit ex eo, quia eſt figura alicujus ſubſtantiæ, vel corporis naturalis; ſed quia talis figura.

IIII.

Ar. Phy. 6. cap. 1. Licèt magnitudo nulla cogitari poſſit, niſi partibus ſuis compacta, tamen nullæ hîc in toto, niſi potentiâ, ſtatuuntur partes.

V.

Magnitudo hæc eſt finita, & terminata actu. Concedatur tamen, ſi libet, partes eam habere infinitas, verùm non actu diſtinctas, ſed potentiâ tantùm. Partes enim continui actu finitæ ſunt: nam ſicut actu non habent aliud eſſe quàm eſſe totius, in quo ſunt; ita finiuntur & terminantur actu terminis totius, v. g. vel punctis, vel lineis, vel ſuperficiebus. Nam eadem quæ terminant totum, ſimul etiam terminant omnes partes eius. Vnde Ariſtoteles dicit Geometram non aliter petere lineam infinitam, quàm quanta ſatis ſit.

VI.

Neq; hæc magnitudo Phyſica, ſed abſtracta à Phyſico corpore conſideratur. *Themiſt. 1. de Anima. t. 17. & 3. Phyſ. t. 71. Ariſt. 12. Met. t. 44.* In omnibus enim quæ Mathematici contemplãtur, naturales affectiones à conſpectione ſuâ rejiciunt: ſolas, meraſq; magnitudines, & nuda, atq; inania ſpatia conſiderant. Finiendis his neque materiam, neq; naturalem quantitatem adjungunt.

VII.

Αφαίρεσις tamen omnino & ſola non eſt Geometrica.

Quæſtio.

Num adoleſcentes ſint magis idonei ad diſcenda Mathematica, quàm Phyſica aut Ethica?

Affirmatur.

ETH.

ETHICÆ.

I.

Practica ſcientia eſt,quæ res circa quas occupatur, non ſolùm docet contemplari, ſed præcipuè operari & facere:ut finis non tam hîc ſit docere intellectum, quàm movere voluntatem; non tam ſcire verum, quàm voce, vitâ,exemplo,aliis prælucere.

II.

Ejus partes ſunt tres, Ethica,Politica,Oeconomica.

III.

Ethica prima & principalis eſt, quippe quæ reliquarum fundamenta & firmamenta continet, agens de virtutibus & vitiis,earumq; actionibus,de ſummo bono,& ultimo fine hominis, quibus non ritè recteq; antea exquiſitis & inquiſitis, Oeconomica, & Politica ne digitum quidem progredi poſſent.

IIII.

Politica rationem iuſtè ac ſapienter conſtituendæ, tuendæq; reip. ad acquirendam bonorum omnium accumulationem & affluentiam docet.

V.

Oeconomica verò leges prudenter tractandæ,adminiſtrandæq; familiæ ſuppeditat.

Quæſtio.

An rectè dicatur à Platone, Philoſophiam eſſe mortis meditationem?

 Affirmatur.

IOHANNES CASVS MEDICINæ Doctor ſuo L. Chriſtiano ſalutem.

FACILE id impetrabis (doctiſsime Chriſtiane) quod unâ cum nobiliſsimis gentis tuæ luminibus tam vehementer rogas. Ecce veſtro rogatu mutabo conſilium meum, & non ſinam ut caries id operis in ſepulchro conſumat, quod canities mea tot annorũ ſtudiis perfecit. Eram equidem & corpore infirmus, & animo deiectus meo: at ſic diligi, ſic æſtimari à doctiſſimis viris, iiſdemq́; peregrinis, oleũ quaſi vitale addit ſenectuti meæ, paſcetq́; lucernam vitæ tam diu, uti ſpero, donec Symbolum aliquod grati animi Danis & Germanis perſolverim, qui me, meaſq́; chartulas rudiores tanti fecerunt. Quod ad te attinet, Doctiſsime Iuvenis, dabis mihi veniam, ſi te horter & vrgeam, ut in ſpatiis & ſubſelliis philoſophorum ſemper verſeris; in quibus nuper apud nos acumen magni & ſubtilis ingenii tui, me teſte, & tecum diſputante, laudatiſsime demonſtraſti. Vale.

AMICO SVO INTIMO INTEGERrimoq́;, omni politiori literaturâ ornato, *Lagoni Chriſtiano Dano Ripenſi S.*

Naturam & Mores ſcripto feliciter ornas,
Sed magis in vitâ miror utroſq́; tuâ.
Et cùm ſubtili tueare Mathemata ſenſu,
Debetur ſtudijs tertia palma tuis.
Gratulor Oxonio quod te clareſcet alumno,
Parva eſt in laudes Dania ſola tuas.

Ioannes Haßallus, Anglus,
Novi Collegii in Academiâ
Oxonienſi Socius.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 410 [52,-24 4°]